

36. At si expendantur auctoritates tum Tertulliani, qui diu ante Concilium Nicænum scripsit, item Constitutionum Apostolicarum, quæ ex primitivæ Ecclesiæ tum Constitutionibus, tum Traditionibus ac moribus sunt constat, aliaque plurima antiquitatis monumenta, verbo *Chirotonias*, id est, manuum impositione initiationem Diaconissarum exprimentia, in sententiam Espenii non facile est concedendum; sed alia duplex naturalis explicatio Canonii vexatissimo adhibenda: quarum prima est Eximii Domini Witasse tomo VI. suæ Theologiæ de Sacram. Ord. p. 1. q. 6. a. 2. ubi dicit: *Patres ad calcem hujus Canonis ideo Diaconissarum (quas prius in catalogo Clericorum collocaverant) iteratam mentionem facere, & inter Laicos annuere; ne quis inde colligeret, illas vera & legitima ordinatione esse initiatas, non quod aliqua manuum impositione jam tum non donarentur, cum id constet, inquit, ex innumeris Ecclesiæ monumentis. Id quod ipsum nostra edicit propositio. Altera est expertissimi in re græca Goar. ii Commentario in Ordinationis Diaconissæ pag. 220. col. 2. ubi ex Zonara in cit. Can. 19. refert: Plures ante Concilium Nicænum fuisse Virgines, quæ, castitate jugiter servata, Deo se consecrare studebant: ex earum itaque Collegio quasdam Episcopi ad Diaconicum munus sepebant, quibus peculiarem quoque habitum (quasi Diaconissis) anno ætatis 25. concedebant: & hæc, quamvis adhuc forent Laicæ, & habitum portarent ad probationem potius virtutis, quam ad Ordinis etiam cum dispensatione susceptionem; Diaconissarum tamen nomine & honore gaudebant: de quibus proinde Canon Nicænus cit. inquit ille, qui plerisque moris hujus ignaros torst, potuit absque facta cuiquamque alteri Canonii oppositione dicere. Diaconissarum autem censurimus, quæ in habitu quidem censentur, quoniam nec ullam habeat manus impositionem, ut omnino*

inter Laicos ipsæ commoverentur.

37. Contra II. ejusdem propositionis membrum opponi possunt I. auctoritates Patrum, & Conciliorum pro stabilienda prima parte à nobis allatæ, quibus Diaconissæ ordinari, & initiari per manus impositionem dicuntur: quibus adde Epiphanium hæresi 79. & alios Patres, eas intra *Ecclesiasticum Ordinem* concludentes. Item Nazianzenum ep. 95. & Synodum Trullanam, eas in *Ecclesiastica Dignitate* collocatas agnoscentes. Denique S. Basilium ejusmodi mulierem, si fornicata fuerit, *deponendam* esse pronuntiantem ep. ad Amphil. c. 44. Vera igitur & legitima ordinatione initiatæ erant. II. Ipse Ritus ordinationis earundem, in Rituali Græcorum sæpe laudato expressus, ritui ordinationis Diaconi fere similis. Sicut enim dum Diaconus ordinandus præsentatur Archiepiscopo, ille exclamat: *Divina Gratia, &c.* ita & in præsentatione Diaconissæ: & sicut postea super caput ejus manus imponit, tribusque Crucibus efficit super ipsum precatur; ita similiter facit cum Diaconissâ. Quin eandem formam, quam sub manus impositione profert super Diaconandum, etiam recitat super promovendum in Diaconissam. Et, quod plus est, sicut Stola Diaconica humero sinistro Ordinati circumponitur; ita quoque Diaconica Stola sub Pallio collo Diaconissæ à Pontifice circumdatur, duas illius extremitates ante pectus reducitur. Tandem, sicut Diacono, ita & Diaconissæ, peracta communionem, Calix in manus traditur. Et hinc Arcudius ritum hunc, & præsertim formam, *Divina Gratia, &c.* in Ordinatione Diaconissarum, à Rituali Græcorum olim præscriptam, judicat erroneam, imò hæreticam, per abusum Græcorum contra mentem Apostolicarum Constitutionum introductam, cum ea itante non dignosceretur varia impositio facta Diacono & Diaconissæ, imò eadem plane existimaretur, quando & eadem forma consecrationis recitatur. Accedit & Ordo Romanus in Bibliotheca Patrum,

trum, ubi benedictionis illius formula exhibetur.

38. Resp. ad I. Patres & Concilia allata loqui ad mentem nostræ propositionis; ex eo enim quod ordinatas manuum impositione Diaconissas edisserant, satis innuunt, eas ad ministerium suum nude non fuisse deputatas, quemadmodum nunc deputatur obvis quidam Editus, aut Sacrista; ex eo vero, quod recensendo earundem officia nil consignent, quod Ordinis Sacri functionem redoleat, quemadmodum h. T. N. 35. vidimus, sententia illorum de earundem Ordinatione verbis subiecta, de ordine, gradu, & dignitate Ecclesiastica late sumpta intelligenda venit.

39. Ad II. Resp. cum Goario L. sæpe cit. N. 3. Arcudium zelo potius, quam ratione in suos, quos pie exponere debuisset, invehi. Non enim error aut hæresis est, si quædam sacramentalis formæ Diaconatus verba verbis consecrandæ Diaconissæ necessariis adjungantur, aut adaptentur. Formæ enim, sicut & rerum definitiones, numeris sunt similes, quibus si addatur unitas, aut detrahatur, priorem numerum perdit, & alium exurgere necesse est. Itaque concedimus, allata in argumento veritate nitii; sed contendimus ea propositioni nostræ haud obesse, cum illis non obstantibus tantæ Diaconum inter & Diaconissam adhuc hient ritus, quæ vel lipso discretionem inter utroque communistrant. Imprimis enim ipse mulieris sexus Sacri Ordinis suspicionem ab ea longe removet. Secundo, ipsa intentio Ordinantis, quæ ex ministerii, ad quæ per verba ordinationis deputatur,

fatis innotescit. Sed audiatur Græcus Commentator Matthæus Blastares c. 11. *Tu Gulstibein peragi convenit*, inquit ille ibi, *paucis exceptis in Diaconissæ Ordinatione, quæ & in Diaconi. Illam etenim ad S. Mensam adductam, Majorio velari decet, pendentibus à parte anteriori ejus extremis. Postquam vero dictum fuerit: Divina gratia, quæ infirma curat, nullum ipsa insectit genu, sed caput solum. Imposita vero illi manu precatur Pontifex, ut ministerii opus inculpate absolvat, continentiam, & honestam conversationem obeat, atque ita in Sanctis Libris perseveret; non tamen ipsam illibati Mysterii ministrare permittit, aut flabellum obtrectandum more Diaconi illi committit. Collo deinde ipsius sub Majorio Stolum Diaconicum imponit Pontifex, & in partem anteriorem ejus extrema reducit. Communionis autem tempore, post Diaconos, Sanctorum Mysteriorum ipsam participem facit, & ex ejus manu illa Calicem accipit, nulli tamen distribuit; sed confestim traditum in Sancta Mensa reponit. En discrimina, quæ Sacrum Ordinem in Diacono aperte produunt, à Diaconissâ aperte removeunt. Diaconus Stola Diaconica, & osculo ab Ordinatore accepto, flabellum recipit, & à Sanctæ Mensæ dextris statuitur, ut ventilet, juxta Rituale Græcorum; nihil horum Diaconissâ. Diaconus juxta idem, accepto Calice, egressus, communicaturæ Plebi illum distribuit; mulier Diaconissâ vix eo tacto illum confestim in Sancta Mensa reponit: hoc ipso indicans, nihil sibi negotii cum Sacratio competere.*

## TITULUS XV.

### De Sacra Unctione.

1. **U**ngi solent juxta Cap. un. hujus Tituli, & praxim Ecclesiæ Episcopi, Sacerdotes, suscipientes Baptisimum,

Confirmationem, atque Extremam unctionem: quæ unctiones à Canonibus Sacramentales appellatur. Item Imperatores, Re-

Reges, & Reginae; Ecclesia; Altaria, etiam Portalia; Calices; Patenae; Fons Baptismatis; & Campanae: quae extracramentalia audiunt.

## §. I.

De Sacris Oleis, eorum Confectione, & Benedictione.

2. **O**leum, quo dictae unctiones perficiuntur, triplex in utraque Ecclesia reperitur; nimirum, Infirmorum, Catechumenorum, & Christma.

Oleum Infirmorum aequae ac Catechumenorum olivarum factus sunt, nec inter se, nisi diversa benedictione, differunt; Christma vero insuper admixtione balsami ab utroque fecerunt. Chrismate Ecclesia utitur tantum ad Sacramenta, & ad Consecrationes; aliis vero duobus oleis etiam ad alia. De horum benedictione, atque fieri per illa solitis unctionibus historice jam commentandum.

3. Olei benedictio ex Apostolica Traditione descendit.

Hac assertio probari nequit ex Constitutionibus Apostolicis, in quarum lib. 8. c. 29. S. Matth. statuit: *Ut benedicat Episcopus, vel in ejus absentia Presbyter, praesente Diacono; aquam & oleum;* eo quod sint supposititiae (h. lib. tit. 2. N. 66.). Classicum igitur pro illa stabilenda habemus testimonium S. Basilii M. qui lib. de Spiritu S. c. 27. Saeculi IV. haec scribit: *Benedicimus baptismatis aquam, & unctionis oleum. Quibus vero Scripturis edocti nonne a secreta & silente Traditione? Cuius origo cum in nullis Patrum, Basilii antecessorum, monumento consignetur, eam*

(1) Notandum: *Christma* vocem *Achivam*, latine unguentum sonare, ac aquae oleum parum, quam balsamo mixtum ex generica sua significatione exprimere; quamvis ex moderna loquendi consuetudine significatus genericus uni ex tribus unguentorum Ecclesiae speciebus, mixtae ex oleo & balsamo approprietur. Quod adnotare operae pretium duximus; ne Lector ideam falsam Patrum sententiae adferendis assuat.

ab Apostolis defendere in aprico est; eo vel maxime, quod olei unctionis usus jam vigerit Saeculo II. (N. 11. h. T.)

4. Quamvis ex Dionysii Areopagitz, Theophili Antiocheni, Tertulliani, & Cypriani, Scriptorum primi, secundi, & tertii Saeculi (si tamen opera Dionysii revera ipsius sunt) autoritatibus, quas refert Witalfe de Sacram. Confirmationis, atque ex testimonio S. Basilii M. N. praecedenti allato certum sit, oleum ab omni aetate in christianis, seu unguenti (1) confectione adhibitum fuisse; epocha tamen, qua balsamum illi admisceri coepit, non ita tuto figi potest.

Id apparet ex Scriptorem circa illam dissidio. Juenin enim sentit, ante Saeculum VI. admixtionem balsami, sive aliorum aromatum apud Orientales, sive Occidentales vix in usu fuisse; sed puro oteo inungere consuevisse: probabile enim esse, ait, Apostolos, eorumque Successores iis Sacramentis, quibus persecutio vigeat, copiam balsami non habuisse, quod oleo miscerent ad Neophytos confirmandos. Probat etiam ex silentio Patrum Graecorum, Justinii, Basilii, Cyrilli Hierosolymitani; Latinorum vero Tertulliani, Cypriani, Innocentii I. Augustini, qui, de chrismate sermonem habentes, balsami non meminissent. Alii vero, inter quos Gottus de Sacram. Confirm. & Witalfii Continuator ibidem, existimant, mixtionem sive balsami, sive aliorum etiam odoramentorum cum oleo in chrismate conficiendo, Ecclesiae, praesertim Graecae, coetam esse: & pro Saeculo I. adducunt Dionysium Areopagitam de Eccles. Hierarch. c. 4. asserentem: *Unguenti compositionem esse quandam suaviter spirantium materiarum, inter*

ter quas utique balsamum locum principem obtinuerit. Pro Saeculo II. S. Irænaeum lib. c. 18. Valentinianos & Gnosticos reprehendentem, non quod Baptizatos ungere solerent oleo balsamo commixto; sed quod alii eos ungere solerent solo balsamo; alii vero aqua, oleo, & balsamo una permixtis, quemadmodum locum illum explicat Witalfii Continuator tomo VII. c. 1. §. 6. ex apertis ipsius verbis. Ubi etiam contra Dallæum, Calvinum, & Magdeburgenses evincere conatur, non Ecclesiam Romanam mixtionem balsami cum oleo à Valentinianis & Gnosticis, quemadmodum illi calumniatur, didicisse: sed potius illos haereticos unctionem in Ecclesia, oleo balsamo permixto, quod nunc chrisma vocamus, tum jam fieri solitam, admiscendo aquam, vel oleum à balsamo separando, pervertisse, quod simis Ecclesiae haereticis solenne esse solet. Pro Saeculo III. adducunt Fabiani Papae ep. 2. ad Orientales, in qua ait: *Christum instituisse, ut Apostoli die Caenae Christma conficerent ex oleo & balsamo.* Pro Saeculo IV. praeter alios, adducunt Constitutiones Apostolicas, quae est supposititiae (h. lib. tit. 2. N. 66.) infra hoc Saeculum tamen collocari haud possunt, in quarum lib. V. cap. 17. fit distinctio inter oleum baptismi, & unguentum, quod est confirmatio confessionis. Pro Saeculo V. allegant S. Augustinum lib. II. contra literas Petilianae c. 104. quo loco S. Patrem Christmatis nomine intelligere unguentum ex oleo, & balsamo confectum, opinatur Continuator Witalfii L. cit. pag. 339. Verum adductae auctoritates intantum, saltem quoad remotiora Saecula, non evincunt; tum quia de Authore librorum de Eccl. Hierarchia de facto litigatur, & Irænaeus non nisi illative adducitur; Ep. vero Fabiani Papae est supposititiae (h. lib. tit. 2. N. 155.); reliquae vero adductae auctoritates sole meridiano clariores non sunt; tum quia alii Patres, dum de Christmatis unctione in Confirmatione verba faciunt, solius olei meminissent.

Tom. I.

5. Post Saeculi VI. medium mixtio balsami cum oleo in Ecclesia Latina jam fuit in usu.

Id aperte supponit Canon IV. Concilii Braccarenensis A. 572. quo praecipitur: *Ut nullus Episcoporum pro modico balsami, quod benedictum pro Baptismi Sacramento per Ecclesias datur, — quidemquam ulterius exigat.* Et S. Gregorius Saeculi hujus sine Ecclesiam illustrans in Sacramentario de Benedic. *Christm. in Corona Domini idipsum edidit, dum ait: Preparantur ampullae duae cum oleo, quarum melior deservit Pontifici, ut accepto balsamo, & commiscitatio cum oleo, manu sua impleat illam.*

6. Ecclesia Latina Christinam, praeter balsamum, nunquam aliquid aliud admiscuit; bene vero Ecclesia Graeca.

Priorem partem conficit auctoritas tum mox allati Canonis IV. tum Gregorii M. tum aliorum, post ipsos hanc materiam tractantium, Scriptorum, Bedae, Alcuini, Amalarii, &c. qui solius balsami meminerunt: & quamvis Saeculo IV. Graeci Latini objecerint, quod ex aqua fluminis Christma conficerent; eos tamen crasse errasse ostendit tum Nicolaus I. Ep. 70. ad Episcopos Galliae, tum hujus Ecclesiae continua ab ipso ad nos usque continuata praxis.

Quantum ad Graecos, illi, praeter oleum & balsamum, jam olim alias quaeque materias odoriferas, & hodie 35. genera aromatum cum non exigua quantitate vini ad conficiendum Christma adhibent. Vide Graecorum Rituale, à Goario editum, de Officio S. Olei.

7. Distinctio Christmatis, Olei Catechumenorum, & Infirmorum, simulque diversus benedictionis eorundem ritus à primis Ecclesiae Saeculis deduci potest.

Patet hoc, inquit doctissimus Bougetus in Institutionibus Catholicis tom. 2. p. 3. sect. 2. c. 8. §. 5. ex vetustissimis Ecclesiae seu Graecae, seu Latinae libris, quibus barum benedictionum ritus continen-

Oo

tur.

servant usque ad feriam V. in Cena Domini, qua illud consecrant ritu solemniori, teste antiquo Euchologio Barberino, ante 800. annos conscripto. Eadem feria V. teste Goario in notis ad Officium S. Olei N. 22. in suo Græcorum Rituali pag. 353. oleum Infirmorum à Græcis Pontificibus solemniori pompa benedicuntur; at cum vi caeremoniali aditantiunt unctione eodem tempore consumuntur, Sacerdotibus simplicibus fit potestas, illud, quoties urserit necessitas, benedicendi: qui etiam, ante Baptismi cujuslibet administrationem, benedicunt Oleum Catechumenorum, ut ex N. sequenti constat.

9. Solis Episcopis ex communi & perenni Ecclesie Latine sensu semper licuit, & de facto licet consecrare Chrysmum, & alia duo olea, quamquam Presbyteri subinde contra Regulas Ecclesiasticas hanc potestatem sibi arrogaverint. In Ecclesia Græca Presbyteri ea gaudent, quantum ad consecrationem olei Catechumenorum, & Infirmorum.

Prima assertiois parti non obstat ep. 2. Fabiani Papæ Sæculo III. ad *Orientalis Episcopos* scripta, apud Gratianum c. 18. dist. 3. de *Consec.* in qua ex Apostolorum Traditione Chrysmatis consecratio Sancto die Jovis peragenda, & quotannis renovanda præcipitur; est enim supposititia (h. lib. tit. 2. N. 155.); quin aperte asseritur in Canone 20. Concilii I. Toletani Sæculo V. celebrati, ubi edicitur: *Episcopo sane certum est omni tempore licere Chrysmum consecrare.*

Secunda pars colligitur ex eo, quod hujus ritus fiat mentio in Sacramentario S. Gregorii M. qui hujus Sæculi initio obiit, mox cit. edit. col. 54. sub hac Rubrica: *In ipso die (S. Jovis) ita conficitur chrysmum, &c.* in antiquo Ordine Romano, in epistola Pseudo-Fabiani mox relata, & circa illa tempora ab Isidoro Mercatore cum aliis proculsa, atque in aliis eisdem ævi de Divinis Officiis Scriptoribus.

Quantum ad tertiam, Græci species suas, quas conficiendo chrysmati adhibent (N. 6. h. T.), omnes infra Quadragesimam coacervant, & primo per Ministros ad hoc destinatos tundunt, & cribrant; tum compositionem, deinde concoctionem faciunt, & consecrunt unguentum

præfens Canon 20. illis verbis: *Quamvis pene ubique custodiatur, ut absque Episcopo Chrysmum nemo conficiat.*

Tertium membrum adstruunt Græcorum Euchologia. Quam consuetudinem ipsis non prohibuit Clemens VIII. in sua Instructione ad Episcopos Latinos, qui in suis Diocæsisbus numerabant Presbyteros Græcos, directa, in qua ait: *Non sunt cogendi Presbyteri Græci Olea Sancta, præter Chrysmum, ab Episcopis Latinis Diocæsanis, accipere; cum ejusmodi Olea ab eis in ipsa Oleorum & Sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur, & benedicantur.* Benedictionem olei Catechumenorum, à Sacerdote in administratione Sacramenti Baptismi, & Confirmationis fieri solitam, vide apud Goarium pag. 289. Infirmorum vero ibi in N. præcedenti citata pag. 353. Quod vero non habeant potestatem consecrandi Chrysmum, esto Confirmationis Sacramentum conferre valeant, præter jam dicta, patet ex eo, quod Arcudius apud Gottum testetur, Patriarcham Constantinopolitanum consecratum ab ipso semel in anno Chrysmum mittere ad Metropolitanos, qui istud Episcopis hi Presbyteris dividunt.

10. Cæremonie in consecratione Sacrorum Oleorum hodie adhiberi solitæ, & infra N. 24. describendæ, præsertim insufflationes in illa, eorundemque salutationes, sunt antiquissimæ, & sæculo VI. saltem, si non V. jam ultatæ.

Præscribuntur namque ad longum in Ordine Romano Veteri primo à N. 30. in editione Muratoria supra citata col. 992. 993. & seqq. qui Ordo, teste Mabillonio in admonitione ad illum, si Gregorii M. ævo non est superior, certe æqualis, & Sæculo IX. ab Amalario passim expressus jam fuit. Eorundem rituum etiam meminit Ritale Rhenense, ante mille annos conscriptum, in quibus ne vestigium quidem appareat hos ritus tum primum fuisse institutos: antiquiores ergo illorum Epocha cum fundamento eos suspicamus.

## §. II.

De Sacris Unctionibus in administratione Sacramentorum Baptismatis, Confirmationis, & Extremæ unctionis, earumque ritibus.

11. Sacrarum Unctionum in Baptismate, & Confirmatione antiquitas certissima traditione constat. Ad Apostolorum tamen tempora certo duduci nequit.

Quantum ad Baptismum S. Cyrillus Hierosolymitanus Sæculo IV. *Catechesi 2. Mystag.* hæc scribit: *Exuti, exorcizato oleo à summis capillis ad infimos usque peruncti estis.* S. Ambrosius eodem Sæculo lib. de Sacram. c. 2. N. 4. *Venimus ad fontem, ingressus es, — occurrit tibi Levita, occurrit Presbyter, unctus es quasi Athleta Christi.* Innocentius I. eodem Sæculo in ep. ad Decentium c. 3. *Presbyteris, seu extra Episcopum, seu præsentem Episcopum baptizent, Chrysmate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum.* Junge Concilium Arausicum Sæculo V. habitum, quod Canone 2. decernit: *Nullum Ministrorum, qui baptizandi receipt officium, sine Chrysmate usquam debere progredi, & catervam Patrum.*

Quantum ad Confirmationem Tertulianus Sæculo III. de Bapt. c. 7. ait: *Exinde egressi de Lavacro perungimur benedicta unctione de pristina disciplina, qua ungi oleo de cornu in Sacerdotium solebant.* Et infra: *Sic & in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit: quomodo & ipsius baptismi carnalis actus, quod in aqua mergimur, spiritualis effectus, quod delictis liberamur.* S. Cornelius Papa apud Eusebium Hist. Eccl. lib. 6. c. 43. ep. ad Fabium eodem Sæculo III. *Neque ab Episcopo signatus est (Novatus); hoc autem signaculo minime percepto, quo tandem modo potuit Spiritum S. percipere?* S. Cyprianus itidem Sæculo

to III. ad Januarius paulo post initium: *Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus est, ut accepto Cbrismate, (id est, unctione) esse unctus DEI, & habere in se gratiam Christi (supple possit).* Junge Operatum Mileviti. lib. 7. *contra Parmenianum, S. Pacianum ep. 1. ad Sempronianum, S. Ambrosium de Myste-riis cap. 7. & alios.*

Ultima pars assertionis ex dissidio Scholasticorum circa Chrsimatum Epocham liquet, aliis eam, ob testimonia jam alata, præsertim Tertulliani, ad initium Sæculi III. referentibus; aliis ad Apostolorum discipulos; aliis ad ipsos plane Apostolos extendentibus: quam ultimam opinionem pro viribus tuendam suscepit Witsasii Continuator tomo 7. de Sacramento Confirmationis q. 2. artic. 3. sect. 6. ubi ex Tertulliano lib. 1. contra Marcionem cap. 19. demonstrat, Marcionem Chrsimatis unctione confirmatum fuisse circa initium Sæculi II. Imo pro Sæculo I. valde fortiter urget argumentum ex Gnosticorum, & Valentianorum modo ungenti, N. 4. h. T. insinuat. Gravia non minus sunt ejus argumenta pro sua sententia, desumpta ex autoritate tum Dionysii Apostolorum Discipuli, eodem N. 4. à nobis adducta, ob majorem probabilitatem sententiæ libros de Hierarchia eidem vindicantis; tum ex sex autoritatibus Tertulliani, quas ad longum recenset cit. tom. 7. §. 7. pag. 42. in quibus sacræ hujus unctionis meminit tanquam antiquæ, à Christo institutæ, & ubique receptæ. Quæ ejus intentum vix non demonstrant; interim tamen obstat silentium novi Testamenti, & autoritas aliorum Virorum doctorum, de quibus discipiant Theologi. Nobis hic adnotasse sufficiat, ex unctione Marcionis, adhuc juvenis, illam Sæculo II. inter Fideles jam certo in usu fuisse.

12. Unctio Infirmorum ab Apostolis usitata, & in utraque Ecclesia ad usque nostra tempora perducta est.

Prima pars ex Epistola S. Jacobi capit. v. 14. liquet: *Infirmatur quis? indicat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* Quam epistolam genuinum esse partum Sanctissimi Apostoli, à Nostris dudum demonstratum est. Accedit auctoritas ex Marci 6. v. 13. *Et ungebant oleo multos ægros, & sanabant.* Nostra enim hic non interest, an unctiones insinuatæ fuerint Sacramentales, nec ne?

Quantum ad 2. p. Eam usque ad Sæculi III. initium perdurasse testis est Origenes, tunc florens, hom. 2. in Levit. ubi per hanc unctionem impleri ait: *Et illud quod & Apostolus dicit: Si quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Ecclesiæ, & imponat ei manus; ungentes eum oleo in nomine Domini.* Eam Sæculo IV. adhuc vegetam fuisse testis est Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio, quem Antiochia scripsit circa A. 382. Neque enim, inquit, *solum cum nos regenerent (Sacerdotes), sed postea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent.* *Infirmatur, inquit, inter vos aliquis? accersat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* Eam Sæculo V. factam testam mansisse, testis est Innocentius I. in ep. ad Decentium A. 416. scripta cap. 8. *Non est dubium, scribens, de Fidelibus ægotantibus (quod in Beati Jacobi Epistola conscriptum est) accipi, vel intelligi debere, qui Sancto Oleo Chrsimatis perungi possunt.* Eam denique & ante Sæculum VI. viguisse, & post illud ad nostra usque tempora in utraque Ecclesia perdurasse, demonstrant Sacramentarium Gregorii, Pontificale, ac Rituale Romanum, Euchologium Goarii, Epitome Gregorii Protosyncelli, Censura Hieremix Patriarchæ Constantinopolitani adversus Wittembergenes: quæ omnia hic recensere & nimis longum, & supervacaneum esset. Hoc hic notandum, Patres omnes ab Origene, & Euchologia ac Ritualia

tualia omnia, dum de hac unctione loquuntur, se revocare ad Epistolam S. Jacobi. Stulte ergo, & temerarie nimis illam ex Canone expunxit Lutherus.

13. Ritus ungenti baptismum Suscipientes in utraque Ecclesia variis temporibus varius existit. Antiquissimus in Ecclesia Titus est, illos ungenti ante ablutio-nem oleo Catechumenorum in pectore & inter scapulas, & post ablutio-nem Chrsimate in capite.

Prima pars patet ex eo, quod primis Ecclesiæ Sæculis in Ecclesia Græca Catechumeni toto corpore ungebantur: *Exuti, inquit N. 11. h. T. relatus Cyrillus Hierosolymitanus, exorcizato oleo à summis capillis, ad infimos usque peruncti estis.* Qui mos hodieum in illa Ecclesia perseverat, teste eorum Rituali à Goario edito pag. 290. ubi habetur: *Tunc offertur Baptizandus, & Sacerdos accepto oleo Crucis figuram exprimit in ejus fronte, & in pectore, & in dorso — in auribus, in pedibus, — uncto vero toto corpore baptizat sic unctum, & quidem unico tantum oleo, à se prius benedicto.* In Ecclesia Latina, teste S. Augustino homilia 1. & 3. ad Neophytos in Benedictina ejusdem Operum editione tomo VII. col. 288. suo tempore, id est, sæculo V. Baptizandi ante collationem baptismi liniebantur in auribus, & naribus oleo, & post susceptum baptismum chrsimate in capite.

Quantum ad 2. p. hujus ritus meminit Sacramentarium Gelasianum ad Sæculi V. finem in Muratoria editione col. 594. his verbis: *Deinde tangit ei pectus, & inter scapulas de oleo exorcizato; & col. 596. Postea cum ascenderit à fonte infans, signatur à Presbytero in cerebro de chrsimate: & Sæculo IX. Rabanus de institutione Clericorum lib. 1. c. 27. & 28. relatus à Gratiano dist. 4. c. 70. & 88. de Consecratione.*

14. Ritus ungenti Confirmandos in Ecclesia Latina à primis Sæculis fiebat in fronte, & quidem probabilis semper sig-

no Crucis expresso; in Græca variis temporibus varius fuit.

Primum partem contra Rigaltium in Notis ad Ep. Cypriani gravissimis argumentis adstruit Witsasii Continuator in sæpe citato Tomo VII. de materia Confirmationis §. 4. pag. 298. & seqq. ex testimonio Patrum, à Sæculo II. usque ad VII. inclusive desumptis, nimirum: Tertulliani lib. 3. *contra Marcionem* cap. 22. item de *Prescript.* c. 40. ubi Confirmationem vocat *signaculum frontium;* ex Concilio Œcumenico II. Can. 7. Cyrilli Hierosol. Catech. 3. Myflag. Innocentii I. ep. ad Decentium c. 3. Augustini enarrat. in Psal. 141. Gregorii M. *Sacramentario de Confirmatione* Tertulliano concinens, atque unam vel alteram Cypriani, & Origenis auctoritatem in speciem contrariam solvit.

Secundam partem quoque adstruit ex mox cit. *Sacramentario* Gregorii M. ubi habetur: *Pontifex, tincto pollice in Chrsimate, facit Crucem in fronte unius, similiter per omnes singillatim: quod & tradunt Ordo Romanus, liber de Divinis Officiis, aliaque id genus antiqua Ritualia.* Verba sunt illius.

Quantum ad Ecclesiam Græcam Concilium Œcumenicum II. Sæculo IV. Canone 7. partes ungentas enarrans, recenset frontem, & oculos, & nares, & os, & aures. Cyrillus Hierosolym. *Catech. 3. Myfl.* frontem, aures, nares, & pectus. Euchologium manuscriptum Crypto-Feratense Bessarionis, & Barberinum S. Marci ex partibus à Cyrillo recentis omitunt pectus, & os addunt. Sed aliud Barberinum, quod recentius est, addit manuum volam, & cor. Euchologium à Goario editum recenset frontem, & oculos, & nares, & utramque aurem, & pedes. Euchologia typis excusa, quibus modo Græci utuntur, frontem, oculos, nares, os, aures, pectus, manus, & pedes.

15. Ritus ungenti Infirmos variis tempo-

temporibus tam in Ecclesia Latina, quam Græca varius fuit.

Quantum ad Ecclesiam Latinam Eugenius IV. Sæculo XV. in Instruktionem Armenorum septem unctiones determinavit; videlicet, oculorum, aurium, narium, oris, manuum, pedum, & renum (hoc lib. tit. 1. N. 307.). Præter has unctiones, antiquissimis temporibus usitatas, testibus Ritualibus ante mille annos editis, Rhemenfis, & aliis, quæ referunt Martinius, Launojus, Menardus, iisdem vadiibus eo, quo conscripta sunt, tempore; aliæ adhuc fuerunt in usu apud nonnullos, videlicet, colli, gutturis, & scapularum, juxta Codicem Sacramentorum S. Eligii, Tillianum, Rhemensem, vetustissimum MS. Turonenfis Ecclesiæ, & perantiquum Sæculum apud Morinum in Appendice de Pœnitentia. Ad hæc: Rituales quidam Libri commemorant unctiones verticis, frontis, genarum, temporum, ac pectoris, ut perantiquum MS. Ecclesiæ Cameracensis, & quantum ad verticem capitis frontemque spectat, vetus quoque Pontificale servatum apud PP. Prædicatores Parisienses. Ungendam quoque illam corporis partem, quæ afficitur vividiori doloris sensu, docent veteres duo Codices mox relati, Tillianus, ac Turonenfis, nec non permulti alii, præcipue ante Eugenium IV. tempora. Et unctionem umbilici, præsertim in feminis, præferunt Ritualia, post tempora Eugenii edita, Bajansense A. 1611. Abrincense 1539. &c. hæc tamen unctio & in Instruktionem Eugenii, & in majori antiquorum Codicum numero est prætermissa, sicut & hodie unctio renum in eodem sexu, verecundiæ, ac pudoris innati gratia, omittitur. Hæc Bertus de Theologicis Discipl. lib. 25. c. 5. sparsum.

Quantum ad Ecclesiam Græcam idem loco citato asserit, non unam viguisse ungenti rationem; nam, ipso teste, Simeon Thessalonicensis in libro de septem Sacramentis, ait, libri Sacro Infirmorum Oleo frontem, faciem, ac manus: at Petrus

Arcudius testatur, communiore Græcorum consuetudine perungi frontem, mentum, genas ambas, pectus, manus, postremo pedes. Videatur Goarius in Notis ad Officium S. Olei in Rituali Græcorum à se edito.

## §. III.

De unctionibus Episcoporum, Sacerdotum, Imperatorum, Regum, Templorum, Altarium, Calicum, Patenarum, Fontis Baptismatis, & Campanarum.

16. UNCTIONES Episcoporum, & Sacerdotum nunquam in usu fuerunt in Ecclesia Græca, in Latina necdum fuerunt in usu Sæculo V. antiquissimæ nihilominus sunt.

Primum propositionis membrum in comperto est ex Ritualibus Græcorum omnibus, in quibus de hæc unctionibus altum dominatur silentium.

Secundum colligitur ex Concilio Carthaginensi; quod titulum quarti præferret, & Sæculi IV. sine coactum fuit, atque habetur in Coletana Concilior. Collect. tom. 2. col. 1433. cujus Canones, qui ritus Sacrarum Ordinationum tum Episcoporum, tum Sacerdotum accurate determinant, nullam unctionem mentionem faciunt.

Quantum ad tertium, Morinus de Sacris Ordinationibus Exercit. 6. c. 2. probat, hæc ungenti consuetudinem in aliquibus Ecclesiis citius, in aliis serius invaluisse; ipsamque Episcopalem unctionem in Ecclesia Romana antiquiorem esse Presbyterali. Cæterum utraque jam præferbitur in Sacramentario Gregoriano, Episcopalis quidem faciendâ in capite, & manibus Chrismate, tomo II. editionis Muratoris col. 440. & 441. Presbyteralis vero faciendâ itidem Chrismate, sed in manibus tantum eodem modo, col. 414. qui ritus ungenti usque hodie invariatus permansit.

17. UNCTIONES Imperatorum, & Imperatricum, Regum, ac Reginarum quoque antiquissimæ sunt in Ecclesia.

In Gallia enim à vetustissimis Sæculis, & fortassis à Clodovei, qui sæculo V. vixit, Successore, Reges consecrantur unctione Chrismatis, in hujus Monarchæ Baptismo cœlestis allati, & hucusque Rhemis conservati. Et Sacramentarium Gregorianum titulo de Coronatione Imperatoris, editionis Muratoris tom. II. col. 458. hæc habet: *Post hæc procedent ad Altare S. Mauricii, ubi Ostiensis Episcopus ungit ei de oleo exorcizato brachium dextrarum, & inter scapulas.* In eadem col. 465. cit. edit. habetur quoque oratio in sacri olei unctione Conthoralis ejusdem Imperatoris dicenda.

18. Cum ex immemoriali utriusque Ecclesiæ praxi omnes fere consecrationes olei, chrismativate unctione perficiantur: sicut ex irrefragabili Patrum Sæculi IV. Athanasii, Eusebii, Gregorii Nysseni, aliorumque testimonio constat, Ecclesias, Arasque tam in Oriente, quam in Occidente fuisse solemniter dedicatas, & consecratas; ita iisdem Sæculis Sacris Oleis utrobique etiam sacre perunctæ.

Quod Altaria concernit, illa Sæculo I. unguentis delibata fuerunt, si Liber de Ecclesiastica Hierarchia est Dionysii Areopagite: in eo siquidem c. 4. §. 12. dicitur: *Hoc etiam sancte observari, ut Sacratissimum lex illa Mysteriorum purissimis unguenti sacratissimi assusionibus Divini quoque Altaris consecrationem perficiat.* Sin autem, saltem eam jam Sæculo IV. viguisse consuetudinem evincit; cum Sæculo sequenti certissime in lucem emissum jam fuerit. Accedit Concilium Agathense A. 506. in cujus Canone 14. *Altaria placuit non solum unctione Chrismatis, sed etiam Sacerdotali Benedictione sacrari.* Cum ergo monumenta in propositione allata prodant, Sæculo IV. non tantum Altaria, sed etiam Ecclesias fuisse dedicatas, & consecratas, ex immemo-

riali consuetudine consecrationes sacris unctionibus peragendi; sequitur, quod sicut in consecratione Altarium eadem fuerit adhibita, ita & in consecratione Ecclesiarum. Id quod S. Gregorius Nazianzenus eodem Sæculo non obscure expressit, dum in quodam poemate, quod somnium de Analitia inscribitur, cecinit:

Inter alia templa ædes est etiam augustæ Christi Discipulorum,  
Lateribus Cruce signatis quadrifariam  
divisa.

Latera enim Cruce signata quatuor Ecclesiæ parietes Chrismatis Cruce signatos, quadrifariam totam molem dividentes, hic recte intelligit Goarius in Notis ad Officium in Dedicatione Templi N. 23. Ritualis Græcorum à se editi. Qui ibidem subnectit faciliora adhuc Theophanis verba, ubi Athanasium Tyro elapsium, & Hierosolymis secure agentem, preces facientem, & S. Unguento ungentem, Oratoriaque Domus consecrantem describit; sed nec nisi quia unctos, ideo parietes consecratos, & venerandam Ecclesiam ab Augustino lib. 4. contra Cresconium cap. 40. dictos idem putat ibidem.

19. Ritus unctionum in Consecratione Ecclesiæ, & Altaris, à Pontificali Romano præscriptus, tenore cujus Consecrator inungit I. in modum Crucis ipsum ostium Ecclesiæ; II. quatuor angulos Sepulcri Reliquiarum, & lapidem, quo claudendum est, inærius; III. Oleo Catechumenorum in formam Crucis bis quinque Cruces in medio Altaris, & quatuor ejus angulis, ac tertio Chrismate; IV. Chrismate in modum Crucis frontem Altaris; V. eodem Chrismate in quatuor angulis Altaris conjunctiones tabulæ ejusdem cum stipite; VI. denique eodem Chrismate duodecim Cruces per circuitum Ecclesiæ in parietibus pictas, Sæculo XI. jam fuit in usu.

Illum siquidem describit Gemma Animæ, cujus Auctor hoc Sæculo floruit lib. 1. c. 162. & seqq.

20. Græcorum unctiones in Consecratione Ecclesiæ, & Sacra Mensæ, seu Altaris non conveniunt omnimodis cum modo descripto Ritu Latinorum.

Primo enim Consecrator, accepto vase Chriftinam puro pleno, infundit Mensæ, & ex eo tres Cruces efformat, unam mediam, & utrinque duas. Vase deinde sibi tradenti reddito, omnem superne è Crucium unguento Mensam inungit, & in utraque columna tres Cruces exprimit, in medio nimirum, & in lateribus. II. Dum Consecrator Templum thurificando circum, assistentium Sacerdotum aliquis pone ipsum sequitur, Unguenti vas deferens, ex eoque in columnis singulis, & pilis, stellesque per illud Crucem pingit. Postremo denique à Græcis non Sepulcrum, & Operculum Reliquiarum, sed ipsæ Reliquiæ unguento perfunduntur, atque in Altaris Mensâ, seu tumba reconduntur, juxta Rituale illorum à Goario editum titulo, *De officio in Dedicacione Templi*. Hunc tamen Ritum sicut & alios in Dedicacionibus Templorum, alias cum ingenti pompa observari solitos, licet antiquos, pene tamen antiquatos sub Turcarum tyrannide deplorat Græcia: ac ideo forsitan ex editis expunxit Euchologiis, quæ in Pontificum duntaxat MSS. Ritualibus secretius, & sacratius exarata esse voluit, teste Goario ibi in notis N. 1.

21. Unctio Calicum, & Patenarum Sæculo VI. & VII. non est posterior.

Unctionis enim Patenæ aperta mentio fit in Sacramentario Gelasiano editionis Muratoris tom. I. col. 611. his verbis: *Inde facit signum Crucis de Oleo S. super Patenam*. Et unctionis Calicis in Gregoriano ejusdem edit. tom. 2. col. 500. his verbis: *Hec faciat Crucem cum Chriftinate super ipsam Calicem de intus*. Euchologium Græcorum apud Goarium titulo de Encœniis, sive Consecratione Patenæ, & Calicis novi pag. 671. hæc habet: *Mox illa S. perungit Unguento*.

22. Infusio Olei, & Chriftinatis in

Fontem Baptifinalem antiquissima est in Ecclesia Latina, & Græca.

Ejus enim Sæculo VI. meminit S. Gregorius Turonensis lib. 1. *de Gloria Martyrum* c. 24. Alcuinus *de Divinis Officiis* c. 19. ajens: *Fonte benedicto, accipit Pontifex Chriftina cum oleo mixto in vase ab Archidiacono, & aspergit per medium Fontis per modum Crucis*. Ordines item Romani I. N. 41. 42. & ejus appendix N. 9. & 10. & X. N. 21.

Quantum ad Græcam, eorundem antiquissima Euchologia apud Goarium pag. 290. in benedictione Fontis hanc habent rubricam: *Sacerdos cum Populo ter Alleluja decantat, tres Cruces Oleo in aqua effusa facit*.

23. Ritus ungenti Campanas in Pontificali Romano præscriptus, antiquior est Joanne XIII. qui sedit post Sæculi X. medium.

Est contra Baronium A. 968. ubi narrat, hunc Pontificem Campanam Lateranensem miræ magnitudinis, antequam super Campanie elevaretur, sacris ritibus Deo consecrassè, atque hunc ritum postea in Ecclesia perseverassè; sed multo antiquiorem esse ex Ritualibus Libris, integro Sæculo ante Joannem XIII. conscriptis, palam fit, in quibus formula benedicendi, & ungenti Campanas reperitur hoc præfixo titulo: *Ad signum Ecclesiæ benedicendum*: ut eruditissimus Menardus testatur in notis ad Lib. Sacrament. pag. 207. ex Codice Rhemeni, tempore Caroli M. exarato, in quo & ritus illas ungenti præscribitur, diversè aliquantisper à modernio.

#### QUESTIO DOGMATICA.

An Ritus Benedictionis Oleorum sit magicus, superstitiosus, vel idololatricus?

24. **R**itus iste, juxta Pontificale Romanum, in sequentibus consistit:

Impriis, præter Ministros ordinarios Pontificis, adhibentur XII. Presbyteri, VII. Diaconi, VII. Subdiaconi, Acolythi, & alii inferiores Clerici, omnes induti Vestibus Sacris suo Ordini congruentibus. Quibus ad Altare suo ordine dispositis celebratur Missa more solito, usque ad hæc verba Canonis exclusive: *Per quem hæc omnia Domine semper bona creas*. Quæ verba antequam recitet Pontifex, procedit ad benedictionem Olei Infirmorum, in hunc modum.

25. Monet Archidiaconus afferri Oleum Infirmis destinatum. Hoc Subdiaconus è Sacratio offert, & tradit Archidiacono. Archidiaconus ampullam olei acceptam à Subdiacono collocat super Mensam ante Pontificem, qui illud, præmisso exorcismo, benedicit. Facta benedictione deferunt oleum ad Sacrarium, ibi diligenter custodiendum. Prosequitur autem Missam Pontifex; factaque Communione, procedit ad benedictionem Sacri Chriftinatis, & Olei Catechumenorum in hunc modum.

26. Jussu Archidiaconi Presbyteri duodecim, septem Diaconi, totidem Subdiaconi, cæterique inferioris Ordinis Clerici solemnè pompa vadunt ad Sacrarium: & cum eo comitatu inde Subdiaconus vasculum cum balsamo, Diaconi ampullas ad Sacrum Chriftina, & pro Oleo Catechumenorum deferunt: interinque canitur Hymnus. Collocato vase balsami, & ampulla olei chriftinalis super Mensam per Archidiaconum, Pontifex benedicit balsamum, benedictumque miscet cum modico olei ex ampulla chriftinali sumpti. Quo facto Pontifex terhalat in modum Crucis super os ampullæ chriftinalis: idem faciunt Sacerdotes duodecim.

27. Deinde Pontifex, præmisso exorcismo, benedicit oleum, & chriftina; mixtumque tandem cum balsamo benedicto ter salutat, dicens: *Ave S. Chriftina*; osculaturque labium ampullæ Sacri Chriftinatis. Duodecim Presbyteri accedentes per

Tom. I.

ordinem ter quoque eodem modo singuli salutant S. Chriftina, & osculantur labium ampullæ.

28. Facta benedictione Chriftinatis collocatur super Mensam per Archidiaconum ampulla olei pro Catechumenis, super quam tam Pontifex, quam XII. Presbyteri halant modo prædicto. Oleum hoc deinde Pontifex, præmisso exorcismo, benedicit, benedictumque salutat his verbis: *Ave S. Oleum*: tandemque osculatur ampullam olei. Quo facto, Sacrum Chriftina, & S. Oleum refertur solemnè pompa in Sacrarium, Pontifexque Missam prosequitur.

29. Hunc totum Benedictionis Ritum Lutherani, & Calvinisti rident, præcipue vero insultationem super olea, eorumque salutationem tanquam magicum quid, superstitiosum, & idololatricum traducunt. At, quam præcipiti judicio, quam temere, jam detegendum.

#### PROPOSITIO.

Ritus Benedictionis Oleorum neque magicus, neque superstitiosus, neque idololatricus, sed rationabilis est.

30. **P**robatur quantum ad singula membra: & primo, quod non sit magicus. Cum magia sit ars patrandi mira ope demonis, hæcque ars communiter exercetur per aliqua signa, quæ communiter ritu aliquo superstitioso huic fini aptantur; ritus magicus ille est, qui adhibetur circa rem aliquam sensibilem, in ordine ad patrandam mira illius demonisque ope; atqui ritus benedictionis oleorum, sive ille, quem primis statim sæculis adhibuit utraque Ecclesia, (N. 3. & seq. h. T.) sive ille, quem à sæculo V. in præsens retinet Latina, non adhibetur, nec unquam adhibitus fuit in ordine ad patrandam mira oleorum demonisque ope: non igitur est ritus magicus. Quis inficiabitur minore? Erubescant igitur cordati

Pp

Pro-

Prosciantes frontem meretriciam suorum Antesignanorum!

31. Secundo, quod non sit supersticiosus: Superstitio enim secundum S. Th. 2. 2. q. 92. a. 1. in (-) *Vitium est Religioni oppositum secundum excessum, quo quis divinum exhibet cultum vel cui non debet, vel non eo modo, quo debet*; atqui neutro ex his atris carbonibus notari potest Sacrorum Oleorum Benedictio, id quod suadebant solutiones, calumniis Adversariorum infra adferendæ: ritus igitur Benedictiois Oleorum supersticiosus haud est. Et cum idololatria species sit superstitionis, si ritui illi non convenit ratio generis, nec species convenire potest; bene vero Adversarii nomen & res phreneticorum calumniatorum, qui benedictionem oleorum vel ipsis testibus jam ab A. C. 160. usitatum, & modernum ejus ritum à Sæculo V. vel VI. obtinentem (N. 10. h. T.) infamibus, & homini ingenio horrore centibus calumniis impetere, degeneres Patrum filii, non veniunt.

32. Quod vero sit rationabilis, sic evincitur: Cum Olea Sancta, quæ die Jovis S. benedicuntur, materiam subministrant, & ad omnia fere adhibeantur, quæ sancta & suspicienda habet Ecclesia Catholica in suo Imperio, & Sacerdotio, cum à primis Ecclesiæ Sæculis in utraque Ecclesia ungantur in Baptismate, in Confirmatione, in periculo mortis omnes Christiani (N. 11. & 12. h. T.), in capite, & manibus in Latina ab antiquissimo tempore Antistites, in manibus Sacerdotes (N. 16. h. T.), in scapulis, & brachio Reges (N. 17. h. T.), iterum in utraque à primis ipsis Sæculis respective Sacrosancta Tempia, Aræ, Focique, Calices, Patenæ, augusta vasa nostri Sacrificii, ad ipsas usque Campanas (N. seq. h. T.); rationabile certe fuit, eorundem benedictionem solemnem quodam ritu obire, si ea majestas vel nil aliud produceret, præterquam sublimem, & reverentialem de Sacris Liquoribus, dum tantis mylteriis, tam

suspiciendis subjectis applicantur, ideam: quem finem semper etiã intendit Romana Ecclesia, dum ea, quæ live ad cultum Dei, sive ad sanctificationem nostram ordinata sunt, benedicere, atque ita à rebus profanis secernere solent: in hoc lumine naturæ secuta, quod ritus hæromniaque in omni bene ordinata Republica præcipit (h. lib. Tit. 8. N. 33.), nec non in bene multis Institutionibus ipsas Apostolorum, aut eorundem Discipulorum, quemadmodum vidimus. Et certe, si res est non solum innoxia, sed etiã laudabilis, dum Regum Coronæ, reliquisque apparatus, dum Labara Exercituum tantum cæremoniarum apparatu instituantur, in publicam proferuntur, reconducentur eo sine vel solo, ut Subditis, Militibusque grandis de his rebus ideo reverentiaque ingeneretur: quo jure universa Ecclesia per Orientem, Occidentemque, quæ late patet, diffusa, dum res Divinis Mylteriis, hominumque sanctificationi partim à Christo institutas, partim à se deputatas solemnem benedictionum ritu à profanis secernere, easque Populo Christiano venerabiles reddere conatur, dente Theonino ab hominibus nuperis, præjudiciis excæcatis, & ideam claram de cæremoniarum natura, utilitate, atque necessitate non habentibus, allaturat? Cum ipsi potius culpandus sint, quod, flocci habita traditione Patrum, sancta exterius etiã sancte non tractent (vide dissertationem h. lib. tit. 8.)?

Sed audiantur.

33. Imprimis ergo magici quidquam suspiciantur in eo, quod Pontifex cum astantibus Presbyteris habent super Ampullam Chriftimatis, & Olei Catechumenorum.

34. Verum cum halitus ille versus Olea emissus denotet Spiritus S. descensum supra eadem, teste Benedicto XIV. P. M. de Festis J. C. in die Jovis S. N. 188. & Olea ista ad accipiendum Spiritum

tum S. præsertim in Confirmatione, detinentur; Chriftus vero Discipulis daturus Spiritum S. in ipsos insufflaverit, Jo. 20. Sanctusque Spiritus sit Spiritus; insufflatio Pontificis in ampullas Olei, & Chriftimatis non est cæremonia magica, sed apta, & conveniens (h. l. Tit. 8. N. 48. & 49.).

35. Secundo: Vehementer scandalizantur in eo, quod Pontifex, & Presbyteri olea benedicta saluent, eaque profusus adorent; primumque valde puerile autumant ex eo, quod olea dicta inanità sint elementum, quod consequenter tantum honorem nec sentire, nec aliqua perhumana resalutatione demereri potest; alterum vero proflus idololatricum existimant, quoniam adoratio facta inanità elemento idololatria est.

36. Valde itaque pueriliter egit S. Andreas Apostolus, qui truncum Crucis eminus conspectum salutavit, quemadmodum ejus acta testantur; & S. Paula Romanorum nobilissima eundem honorem parvula Bethlehem impendens, teste Hieronymo in ejus epitaphio tom. 4. pag. 674. itemque S. Gregorius Nazianzenus, dum Episcopatu Constantinopolitano Nuntium missurus, in Oratione ad Clerum habita, Cathedram illam, Templumque valere iussit. Notent igitur Javenculi isti in Ecclesia, & quidem satis dycooli, quod Viri Sancti, ipseque Apostoli autumaverint res inanimatas absque puerilitatis vitio posse salutari. Notent præterea, oleum à nobis non salutari physice & absolute, ut in Scholis loquantur, sed relative & moraliter, quatenus symbolum est Chrifti Ser-

vatoris: in quem etiam nostra ibidem hoc modo dirigitur adoratio; & Matrem suam Ecclesiam, quæ sub hoc ritu à Sæculo V. incavit (h. T. N. 10.), irri iere delinunt, ejus canos, reconditosque sensus in reum suarum ordinatione præ juvenili lascivia penetrare non valent. Quod si vel unum ex Conciliis, aut SS. Patribus, antiquioribus vel recentioribus, adducere poterint, qui usum hujusmodi benedictionum vel observari neget, vel observatum improbet, parænesis meæ publice me pœnitentibus cum Pougetto Institutionum Catholicarum parte 3. sect. 2. c. 8. §. 5.

37. Superest adhuc scrupulus: Cur in benedictione horum oleorum tam insolens adhibeat Ministrorum frequentia?

38. Respondeo. Cum olim Pontifici Sacra facientes Ministrorum apparatus deserviret, ut sit hodieque in Orientalibus Ecclesiis, ejusque ritus vestigium apud nos adhuc retineamus in ordinatione Episcoporum & Presbyterorum, & olea in Missa Solemni benedicantur; mos iste in Ecclesia Latina, quantum ad hunc passum, perseveravit. Si autem ultra interroges: Cur olea ista in Missa Solemni benedicantur? cur benedicantur semel in anno? denique de aliis miuitis? Tibi respondebo; quia Ecclesia ab antiquo ita voluit; & quia ingenui ejus filii non libenter recedunt à bene constitutis moribus Patrum suorum; & quia denique ipso jure naturæ instituere cæremonias, easque augere, minuere, &c. arbitrii est cuiusque debitam auctoritatem habentis (h. lib. Tit. 8. N. 39.)

## TITULUS XXIII.

### De Officio Archidiaconi.

1. Diaconos olim fuisse præcipuos Episcoporum tum in spiritualibus, tum temporalibus Ministris hoc li-

bro Titulo XI. N. 24. ostendimus. Porro inter Diaconos eminebant Archidiaconi, tanquam Principes Diaconorum, seu pri-

mi Ministrorum, & præcipui, negotiis Ecclesiasticis ab ipsis præpositi, atque illud fere officium gerentes, quod modo Vicarii Generales, & Officiales.

2. Archidiaconos à suis incunabulis habuit & Ecclesia Latina, & Græca.

Quantum ad Latinam Severus Sulpitius Dialogo II. Archidiaconi Turonenlis meminit, cui B. Martinus Sæculo IV. præcipit: *Ut necessaria veste pauperem donaret: quod cum ille facere cessaret, sua se Martinus ipse veste exiit, induitque Christum in paupere latitantem.* Eodem Sæculo Optatus Milevitanus Episcopus, ab Archidiacono Caeciliano graviter, meritoque correptam Lucillam Matronam commemorat, cujus ira feminea impotentique calamitosum Donatistarum Schisma conflat. Cum Lucilla correptionem Archidiaconi *Cæsiliiani ferre non posset:* verba sunt ipsius lib. 1. Eos vero & præcedentia, & jurisdictione eminuisse aliis Diocesibus Diaconis eodem Sæculo, testatur Hieronymus ep. ad Rusticum: *Singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli Archipresbyteri, singuli Archidiaconi, & omnis Ordo Ecclesiasticus suis Rectoribus nititur:* verba sunt ipsius.

De Ecclesia Græca, præter alia numero plurima, habemus luculentissimum S. Joannis Chrysostr. pro Sæculo IV. testimonium, qui epitola ad Innocentium I. de Theophilo Alexandrino Archiepiscopo conqueritur, quod cum Archidiaconum suum in se concitasset: *Vocato Archidiacono meo, quasi Ecclesia jam viduata esset, ac Episcopum non haberet; Clerum omnem per illum sibi adjunxit.* Eorundem quoque celebris occurrit mentio Actione X. Concilii Chalcedonensis A. 451. Mos autem ille ex Apostolica Institutione Actor. 6. v. 3. dimanasse credendus est, ubi legimus, Diaconos VII. Ministerio Ecclesiastico, & non solum Mensæ Profanæ, ut evincunt nostri Polemici, fuisse deputatos. Sicut autem multitudo negotiorum Apostolicorum Apostolis causa fuit omnis in

anos partiendi, quos Diaconos, seu Ministros nominarunt; ita eadem ratio eorum Successores ad continuationem ejusmodi economiz impulit: & sicut creditur est, inter illos VII. aliquem fuisse Protos, seu primum Diaconum; ita ex Apostolica Traditione Archidiaconos dimanasse tenendum est, quorum autoritas & jurisdictionis temporis vehiculo ad culmen evecta est.

3. Hi Archidiaconi per IX. fere Sæcula in singulis Diocæsiibus erant singuli.

Id Sæculo VII. ita expressit Concilium Emeritense Canone X. ut nihil dubii remanere videatur. *Communi deliberatione sancimus, verba sunt Canonis, ut omnes nos Episcopi, infra nostram Provinciam constituti, in Cathedralibus nostris Ecclesiis singuli nostrum Archipresbyterum, Archidiaconum, & Primi-Clerum habere debeamus.* Et priorum sæculorum Episcopi, dum de suis Archidiaconis verba faciunt, unius constanter mentionem ingerunt, ut patet ex N. præced. allato testimonio Chrysostr. Accedit pro his Sæculis & ep. Hieronymi eodem N. recitata. Nec scrupulum ingerere debet Canon VIII. Synodi Antiochenensis A. 578. ubi mentio fit *Archidiaconi Paracialis;* hoc enim, præter usum aliarum Ecclesiarum illo Sæculo, huic Diocæsi videtur fuisse proprium.

4. Sub Carolo M. seu Sæculo IX. plures jam leguntur in una Diocæsi Archidiaconi.

Eorundem apertam mentionem facit Concilium Parisiense VI. A. 829. Canone 25. statuens: *Ut unusquisque Episcoporum super Archidiaconis suis deinceps vigilantioram curam adhibeat.* Et Hincmarus eodem Sæculo duobus suis Archidiaconis saluberrima suggerit consilia, quemadmodum sese in visitanda Diocæsi habere debeant. Hæc multiplicatio Archidiaconorum ex eo accidisse facile persuaderi potest, quod illa tempestate Chorepiscopi ob suam arrogantiam abrogari inciperent: quorum sarcina, sicut in Archidiaconos divisa fuit,

ita

ita in plures dividi debuit, de quo infra h. T. unde Alexander III. c. 6. h. T. Sæculo XII. Archidiacono Cestrensi mandat, ne ad Ecclesias sui Archidiaconatus visitandas, nisi semel in anno, accedat. Plures enim in Diocæsi Cestrensi fuerunt Archidiaconatus.

5. Per VIII. fere Sæcula Archidiaconi non erant nisi Diaconi; abhinc Dignitas illa cum Præsbyteratu juncti cepit; jure tandem Decretalium seu Sæculo XIII. Præsbyteratus Ordo ad Dignitatem Archidiaconalem necessario prærequisitus est.

Præter partem, præter plura Historiæ Ecclesiasticæ monumenta, luculenter addit S. Hieronym. in Ezech. c. 18. *Certe qui primus fuerit Ministrorum, quia per singula concionatur in Populos, & à Pontifici latere non recedit; injuriam putat, si Presbyter ordinatur.* Sancti quoque Leo, & Gregorius M. Sæculo V. & VII. eorum Episcoporum contumaciam frugerunt, qui Diaconis suis, ut Presbyteri fierent, (& ita per Cuniculum ex amplissimo gradu deicerentur) vim attulisse, aut allaturi videbantur. De quo vide Thomasinum de nova & vet. Eccles. disciplina, argumento de Archidiaconis late disserentem.

Alteram partem suspicari licet ex monitis Hincmari N. præcedenti allatis, quæ dirigit Gontharo & Adelhardo Archidiaconibus Presbyteris. Videtur autem hæc disciplinæ mutatio ex Archidiaconorum amplissima jurisdictione, quam etiam in Presbyteros exercuerunt, ortum transisse; inconveniens enim subinde reputari cepit, ordine inferiores illo Superioribus præesse.

Tertiam partem docent Bellarminus & Fagnanus in Lib. 1. Decret. Part. 12. pag. 118. Verba ejus sunt: *In literis collationis ex stylo consuevit apponi clausula, ut Provisus teneatur infra annum in Presbyterum ordinari, alioquin Archidiaconatus eo ipso vacare censetur.* Et confirmat Eccles. praxis, quantum ad Archidiaconatus illos, quibus animarum cura est annexa.

6. Quamvis olim in Ordine Presbyterorum Senior ordinatione communiter esset Archipresbyter; in Ordine tamen Diaconorum non Senior, sed industrius, & rerum agendarum peritior in Archidiaconum eligebatur.

Hæc differentia ex utriusque Ordinis proprietatibus à Patribus insinuatim proflixit: Presbyteri enim ex nomine suo sunt Seniores, & Seniores Eccles. è contra, nomen Diaconi ministerium, industriam, rerumque agendarum peritiam requirunt, exprimit. Unde Hierony. ep. ad Evagrium: *Quomodo si Exercitus faciat Imperatorem; aut Diaconi eligant de se, quem indultrium noverint, & Archidiaconum vocent.* Et Sidonius Apollinaris de Joanne Archidiacono lib. 4. ep. 25. verba faciens: *In quo, inquit, Archidiaconi seu gradu, seu ministerio multum retentus propter industriam.*

7. Archidiaconi olim ab ipsis Episcopis eligebantur, & constituebantur, quos tamen sine causa & figura nominis gradu rursus dejicere nequibant.

Præter partem asserit S. Laurentius Martyr, ipsum Pontificem ita alloquens: *Experire utrum Ministerium idoneum elegeris, cui commissi Domini Sanguinis dispensationem.* Narrat etiam Sozomenus, Serapionem à B. Chrysostomo Archidiaconum constitutum fuisse: ratio quoque id suadet; cum enim Archidiaconus Episcopi Vicarius & Minister præcipuus esset, illius itaque intererat, suo sibi eum non cooperare. Nec obstant verba S. Hieronymi N. præcedenti laudata; ibi enim non affirmat Diaconos Archidiaconum eligere solitos; sed fingit, & supponit rem, quam ad comparationem profert.

Pro secunda parte splendidum habemus exemplum in Anatolio Episcopo Constantinopolitano, qui Aetium Archidiaconum per speciem provocationis gradu dejecterat; id enim impune haud tulit S. Leo Papa, sed apud Imperatorem & Imperatricem egit, ut gradui, officioque restitueretur;



retur: cū & Anatolius morem gessit. Videtur Litera Anatolii, quas in Collectione sua Romana edidit Holtensius pag. 134. & S. Leo ep. 71.

8. Amplissima primis V. sæculis Archidiaconorum erat Jurisdicção tam in Oriente, quam in Occidente.

Quod enim in Oriente Generales Episcoporum essent Vicarii, & negotiorum Ecclesiasticorum gestores, S. Leo in N. precedenti allata cum Anatolio Controversia aperte prodidit, inquit: *Quem Andream* (qui in locum Aetii ab Anatolio intrusus fuerat) *quia nunc Ecclesiasticis negotiis prapofuit, propter hereticam perseverantiam eidem favorem suum præstare convincitur.*

Idem testimonium Leonis applicari potest Latine quoque Ecclesiæ, cum & ibi Archidiaconi Episcoporum Generales essent Vicarii, quemadmodum Patrum Occidentalium monumenta, & Archidiaconorum munia specifica, mox referenda, prodent. Illis enim prioribus V. sæculis imprimis incumbere cum Archipresbyteris vice Episcopi ex ordinatione Apostolica per Canonem 17. Concilii Carth. IV. a. 398. confirmata, curam viduarum, pupillorum, & peregrinorum habere. *Secundo*, ex eodem Concilio, & aliorum Patrum testimoniis ad ipsos pertinebat cura instruendi minores Clericos, præsertim in iis, quæ restam suorum Ordinum executionem concernerent. *Tertio*, ex ejusdem Concilii Canone V. VI. IX. Jus porrigendi Subdiacono in ejus Ordinatione Urceolum cum aqua, & Mantile, & Manutergium. Acolythis vero Ceroferarium cum cereo, item Urceolum vacuum. Denique in Ordinatione Ostiarum suggerendi Episcopo, ut eidem tradat Claves Ecclesiæ. *Quarto*, Jus in vitam & mores Ordinandorum, & teste Hieronymo ep. ad Evagrium, etiam Presbyterorum inquirendi. *Quinto*, in Conciliis Ecumenicis suorum Episcoporum absentium vices agere: cuius rei illustre exemplum habemus in Concilio Ge-

nerali Chalcedonensi, cui potiori ex parte interfuerunt Archidiaconi suorum Episcoporum Locumtenentes, & inter illos laudatus Aetius Archidiaconus Constantinopolitanus, Concilii hujus celebratissimi quodammodo Promotor, ut patet ex ejus Actis. Denique, teste S. Leone ep. 57. ad Anatolium, Archidiaconorum erat jurisdictionem Episcopi in Causis Ecclesiasticis administrare; atque res, redditusque temporales Ecclesiæ subinde administrare, quod alias pertinebat ad Æconomum. Et hæc quantum ad priora V. Sæcula, ex variis Scriptoribus; nam Sæculo VI. S. Ilidorus Hispalensis ex professo, & diserte Archidiaconorum officia describit in ep. ad Ludifedum, & refertur apud Gratianum dist. 25. c. 1. sub his verbis: *Archidiaconum imperat Subdiaconis & Levitis, ad quem ista ministeria pertinent, ordinatio vestimenti Altaris à Levitis, cura incensæ, & Sacrificii necessaria sollicitudo: quis Levitarum Epistolam & Evangelium legat: quis preces dicat, seu responsoria in Dominicis diebus aut Solemnitatibus decantet. Sollicitudo quoque Parochiarum, & ordinatio, & jurgia ad ejus pertinent curam: pro reparandis Diacesanis Basilicis ipse suggerit Sacerdoti: ipse inquirat Parochias cum jussione Episcopi, & ornamenta, vel res Basilicarum Parochiarum: gesta libertatum Ecclesiasticarum Episcopo idem refert: collectam pecuniam de communionis ipse accipit, & Episcopo desert, & Clericis proprias partes idem distribuit. Ab Archidiacono nuntiantur Episcopo excessus Diaconorum: ipse denuntiat Sacerdoti in Sacratio juniorum dies, atque Solemnitatum, & ab ipso publice in Ecclesia prædicatur; quando vero Archidiaconus absens est, vicem ejus Diaconus sequens adimplet.*

9. Amplissima hæc Archidiaconorum Jurisdicção, qua modernis Vicariis Generalibus non solum æquiparabantur, sed etiam eminebant, facta tecta permanit adhuc Sæculo XIII.

Id evincunt quinque Libri Decretalium à Gregorio IX. hoc Sæculo editi; his enim sub præsentis Titulo cap. VII. inserta sunt ea, quæ de Archidiaconorum Officiis Sæculo VI. scriptis Ilidorus mox relatus, & Archidiaconus insuper secundum Romani Ordinis institutionem Major post Episcopum appellatur.

10. Hæc Archidiaconorum amplissima Jurisdicção initio delegata, successiva temporis facta est ordinaria: hoc est, ipsi Dignitati Archidiaconali annexa.

Cum enim Episcopi vices suas Archidiaconis generaliter, & fere semper committere solerent, & illi auctoritatem suam ipsis absentibus vi suæ generalis, & solitæ commissionis per se exercerent; paulatim ea agere jure proprio cæperunt, quæ prius dumtaxat jure delegato, seu vicario agebant: & ita Archidiaconatus in Beneficium & Dignitatem mutatus est; & ipsi Archidiaconi Prælati Ordinarii annuerati. Unde emerit discrimen inter illos, & modernos Vicarios Generales, quod illi dicantur Vicarii Episcopi nati, hi dati.

11. Hæc tamen specifica illorum Jurisdicção non fuit semper, & ubique æqualis.

Hoc, prætereundum particularia Historiæ Ecclesiasticæ monumenta, vel ex eo liquet, quod prioribus Sæculis eorum Jurisdicção fuerit solum Vicaria, sive delegata; adeoque latitudinem suam ab arbitrio Delegantis desumebat: & quamvis subinde evaserit ipsi Dignitati propria; ex priori tamen fonte dictam inæqualitatem

relinquit: unde Summarium cap. 10. h. T. dicit: *Archidiaconi in Monasteriis Jurisdictionem non habent, nisi in quantum ipsis tribuit generalis, vel Specialis consuetudo.*

12. Insuper hæc Jurisdicção multum fuit restricta Jure novissimo Tridentini.

Videatur Sessio 24. cap. 3. & 20. quibus limitatur Jus commune circa ipsos, præsertim capituli r. h. T.

13. Quin Sæculo IX. ubi jam leguntur plures Archidiaconi, illorum Jurisdicção extensive multo restrictior esse debuit, quam antea, donec introductis Vicariis Generalibus, eorum splendor pene antequaretur.

Prima pars per se patet; cum enim primis sæculis unus tantum in Diocesi esset Archidiaconus, toti Diocesi ex dictis intendebat; quod non fiebat Diocesibus in plures Archidiaconatus distributis.

Secunda vero inde evitit, quod Jure novissimo, & hodiernis moribus eorum amplissima Jurisdicção administraretur per Vicarios Generales, aut alios Ministros Episcopi; adeo, ut Navarrus cap. 25. Manualis N. 135. testetur, se in Hispania neminem scire, qui sit Archidiaconus talis, de quo loquitur Rubrica; cum alii nudum Archidiaconatus titulum gerant: alii jurisdictionem quidem titulo annexam habeant; at subordinatam Vicario Generali & Officiali, & in certum Diocesanos districtum, quales in nostra Archidiaconæfana Synodo A. 1605. constitutos legimus.

## TITULUS XXIV.

### De Officio Archipresbyteri.

Quoniam Chorepiscopi magnam cum Archipresbyteris aſſinitatem habent,

de illis una agemus hoc Titulo, quem proin in binos §§. dispeſcemus.